

V OLIMPIADA DE LLENGÜES CLÀSSIQUES

Història dels llibres Sibilins i el rei Tarquini el Superb

In antiquis annalibus memoria super libris Sibyllinis haec prodita est: Anus hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum regem adiit nouem libros ferens, quos esse dicebat diuina oracula; eos uelle uenundare. Tarquinius pretium percontatus est. Mulier nimium atque inmensum poposcit; rex, quasi anus aetate desiperet, derisit. Tum illa foculum coram cum igni apponit, tres libros ex nouem deurit et, ecquid reliquos sex eodem pretio emere uellet, regem interrogauit. Sed enim Tarquinius id multo risit magis dixitque anum iam procul dubio delirare. Mulier ibidem statim tres alios libros exussit atque id ipsum denuo placide rogat, ut tres reliquos eodem illo pretio emat. Tarquinius ore iam serio atque attentiore animo fit et libros tres reliquos mercatur nihilo minore pretio, quam quod erat petitum pro omnibus. Sed eam mulierem tunc a Tarquinio digressam postea nusquam loci¹ uisam esse constitit². Libri tres in sacrarium conditi "Sibyllini" appellati sunt; ad eos quasi ad oraculum quindecimuii adeunt, cum di immortales publice consulendi sunt.

Aulus Gel·li, *Les nits àtiques* I, 19

Notes:

1. *nusquam loci*: "enlloc"

2. *constitit*: "hi ha constància", "és sabut"